

Trochobryum

novum genus *Seligeriacearum*

auctoribus

J. Breidler et G. Beck.

(Cum tabula III.)

(Vorgelegt in der Versammlung am 6. Februar 1884.)

***Trochobryum* nov. gen.**

Plantae humiles, Seligeriae generis speciebus affinitate proximae. Folia e basi brevi laxe areolata, costa procurrente longe subulata. Capsula in seta crassa, subsphaerica, pachyderma, collo brevi indistincto suffulta sicca depressa, deoperculata subdisciformis vel plano-infundibuliformis. Peristomii dentes 16, aequidistantes, hygroscopici, latiusculi, sine linea divisurali. Operculum columellae adnatum, apiculatum. Calyptra cucullata.

***Trochobryum carniolicum* n. sp.**

Caespites humiles, laxi, fusciscentes. Caulis e basi subprocumbente erectus, 2—3 mm. altus, simplex vel dichotomus, oligophyllus. Folia inferiora parva, late lanceolata, laxe areolata, tenuiter costata; superiora subito accrescentia, e basi lanceolata, ovali vel obovata, in apice emarginata, subito in subulam teretem, laevem, longissimam (ad 6 mm. longam), deflexam, costa procurrente efformatam producta; lamina laxe areolata, dilute fusciscens, cellulis inanibus, inferioribus et intermediis elongatis hexagono-rhomboides — superioribus minoribus, abbreviatis, subhyalinis. Folia perichaetialia summis caulinis forma similia, basi vaginante ovata, in apice plurimum emarginata vel subcordata et ibidem irregulariter crenulato-dentata, costa excurrente raptim et longissime flaccido-subulata, areolis laminae tenuioribus, superne hyalinis.

Flores monoici; masculus gemmaceus, in ramulo basilari terminalis, foliis perigonalibus externis caulinis similibus, basi concava, duo intimis fusco-luteis, cochleariformiter concavatis, breviter acuminatis, tenuiter costatis. Antheridia 6—8, sine paraphysisibus.

Fructus: Vaginula brevis (0.3—0.37 mm. longa), basim versus attenuata, paraphysisibus paucis brevibus vel nullis. Seta 3 mm. alta, crassa (diam. 0.14—0.16 mm.), e basi curvata arrecta, rufescens, sicca leniter ad sinistram torta. Capsula collo brevi indistincto insidens, cum operculo subsphaerico


(diam. 0.55—0.6 mm.), macrostoma, rufo-brunnea, sicca et deoperculata depressa, orificio ampliato demum subdisciformis vel plano-infundibuliformis, margine applanato cum peristomio subrevoluto; cellulae epicarpicae parvae (0.018—0.03 mm.), hexagono-rotundatae, incrassatae; annulus indistinctus. Peristomii dentes rubiginosi, superne aurantiaci, lati, in apice truncati vel irregulariter erosi et pertusi, laeves, octo ad decem articulati, humidi incurvi, sicci reflexi. Sporae majusculae (0.02—0.027 mm. longae), turbidae, fulvae, punctulatae. Operculum columellae crassae adnatum rarius deciduum, magnum, subhemisphaericum, obtuso-apiculatum, in siccitate depressum. Calyptra cucullata (0.5—0.7 mm. alta), infra fusca, versus apicem nigricans.

Habitat in saxis calcareis, humidis interdum irrigatis, in fauce „Dobliza-Graben“ montis Ulrichsberg, Carnioliae, altit. 500 m. s. m., ubi cl. d. ecclesiae curator P. S. Robič majo anni 1882 detexit et societate zoologico-botanico Vindobonensi atque cum fructibus maturis operculatis benevolentissime commisit.

Parvulam haec plantam subulis foliorum longissimis deflexis insignem, nullo *Seligeriacearum* generi facile adjici possumus. Maximam quidem cognationem cum generi „*Seligeria*“ demonstrat, attamen differt capsula mira hygroscopica membrana crassa formata, quae sporis dispersis ad infundibulum planum demum disciforme deprimitur; porro etiam operculo columellae adnato, collo indistincto, foliorum forma et compositione ab omnibus speciebus adhuc notis tam distingui potest, ut nobis aptum esse videtur, genus novum proponere eique ob capsulae formam nomen *Trochobryum* (ex τροχός, rota figlina, „Töpfer-scheibe“ et βρύον, muscus, „Moos“ formatum) imponere.

Explicatio tabulae III.

- Fig. 1. Plantae secundum naturam.
 „ 2. Eadem cum capsula juvenili calyptra adhuc tecta (10).
 „ 3. Eadem cum capsula matura, operculata et gemma mascula ♂ (8).
 „ 4. Calyptra capsulae quaedam junioris (40).
 „ 5—10. Capsulae: 5. Matura, operculata, sicca (30). 6. Junior (30).
 „ 7. Idem cum operculo arte separato (40). 8. Deoperculata (40).
 „ 9. Idem sicca (40). 10. Cum operculo columellae adnato (20).
 „ 11. Sporae (200).
 „ 12. Peristomii dentes (200).
 „ 13. Setae vagina cum paraphysa unica (30).
 „ 14. Planta feminea, archegonia ♀ gerens (40).
 „ 15. Gemma mascula ♂, ad dextram antheridium separatum (40).
 „ 16. Dua folia, antheridia involucrentia (40).
 „ 17. Pars basalis plantae fructiferae (40).
 „ 18. Duae foliorum laminae (70).
 „ 19. Foliū subulae apex (70).
 Numerus inclusus indicat amplificationem microscopicam.



D^r Beck del.

Lith. Anst. v. Th. Bamnarth, Wien

Trochobryum Carniolicum.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Verhandlungen der Zoologisch-Botanischen Gesellschaft in Wien. Früher: Verh. des Zoologisch-Botanischen Vereins in Wien. seit 2014 "Acta ZooBot Austria"](#)

Jahr/Year: 1885

Band/Volume: [34](#)

Autor(en)/Author(s): Bredler Johann, Beck Günther [Gunthero] Ritter von Mannagetta

Artikel/Article: [Trochobryum, novum genus Seligeriacearum. \(Tafel 3\) 105-106](#)